

4. *Vanellus dominicensis armatus* Bug. *ibid.* p. 118. sed Tua videtur ab his omnibus diversa. Harum aliae habent unguem posticum longissimum. 2. 1. aliae ungu. posticum modicum. 3. 4. omnes vero humeros spinosos, uti *Charadrius spinosus*.

Quod D. Crantzius sit in nos iratus, hoc debemus ferre, ejusmodi laboris premia debet omnis auctor exspectare qui multum laboravit. Homines omnes a natura malevoli et stulti sunt, sola cultura evadunt boni. necesse est in republica quod plures sint stulti, quam sapientes. quod ille furatur mea non possum prohibere; sum hisce adsuetus. Vide *Oederi nuperas institutiones a meis desumas*. Vide *Ludwigiana Genera s. Characteres*.

Ex figuris transmissis video nunc distinctissimas esse species *Teucris* et *Euphorbiae*, quod non potui e solo nomine.

Ex *Indicis* et *Capensibus* plantis accepi circiter 30 nova, distinctissima Genera. Deberet aliquis *Jacquinius* alter adire *Indiam orientalem*, ibi certo reperiret plura nova plantarum Genera, quae ego video in siccis speciminibus, sed cum fructus deficit, nequeo determinare.

Mirum quod *Cap. b. sp.* numquam queat a *Botanicis* exauriri, si e novo darem *Florulam capensem*, circiter duplo plures sisterem plantas; nec tamen novi omnes *Hermanni* et *Rai capenses*.

Accepi hisce diebus D. *Scopoli* opus de insectis *carneolicis*, quod jam evolvo, et cujus synonyma extraho quotquot potero pro nova editione systematis.

*Anthericum calyculatum* mire variat: in alpibus florum capitulum subrotundum, albidum, in pratis magis oblongum floribus pedicellatis flavescens, in horto racemus florum elongatus magis laxus et saturatius luteus. inclusum mitto hoc *Anthericum* ex horto desumptum; habeo hoc ex alpino, quod gerit capitulum globosum albidum.